

Tempore

disruptum fuerat in cruce fuit per gloriam relegatum. Dicit igitur quod non sit dignus soluere corrigiam calciamenti eius et quod sit indignus et insufficientis exponere gloriam resurrectionis eius: hec est aurea corrigia per quam omnes electi in fasciculo viventium sunt colligati de isto fasciculo dixit Achygail ad dauid regem. 1. Reg. 25. Ma-
 licia non inueniatur in te omnibus diebus vite tue: et erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud dominum deum tuum. Proero anima inimicorum tuorum rotabit quasi in impetu et circulo munde. Rogate ergo dominum earissimum ut sic nunc imitemur eius humilitatem patientiam caritatem et pacem ut tandem cum gaudio mereamur ipsius respicere maiestatem. Quod nobis prestare dignetur et

In natiuitate domini. Sermo. v.

Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo quia natus est nobis hodie saluator qui est christus dominus in ciuitate dauid Lu. 2. Beatus ambrosius sic inquit. Videte quantum diuina cura fide astruit angelus maria angelus ioseph angelus pastores edoret. Hoc autem gaudium quod angelus annuntiavit ipsis pastoribus non solum fuit gaudium ipsis sed etiam debet esse gaudium nobis unde inquit Basilius. Gaudium magnum non solum populo iudeorum sed etiam omnibus. Causa autem ostenditur quia natus est nobis saluator: huic concordat dictum Ysidori epi in sermone de natiuitate domini ubi sic inquit. Saluator noster dilectissimo hodie natus est gaudeamus: neque enim locum dare est tristitie ubi natalis est vite. vna cunctis leticie est communis ratio: quia dominus noster peccati mortisque destructor sicut nullum a reatu liberum reperit ita liberandis omnibus venit. exultet sanctus quia appropinquat ad palmam: gaudeat peccator quia inuitat ad veniam: ammetur gentilis quia vocat ad vitam: hec Ysidorus. Iuste ergo dixit angelus. Ecce euangelizo vobis et.

Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo quia natus est nobis hodie saluator qui est christus dominus in ciuitate dauid Lu. 2. In verbis premissis quatuor sunt notanda. Primum est quis sit ille per quem gaudium euangelizatur. Secundum est qui sint illi quibus gaudium annuntiat. Tertium est propter quod omni populo gaudendum esse dicatur. Quartum est quo signo iste qui natus est inueniendus asseratur. **P** De primo nota quod ille qui gaudium euangelizat et qui de gaudio bonum nuncium appoetat verus esse angelus domini describitur ne videlicet videatur quod fuerit angelus satthane fantasticus: unde dicitur in euangelio presentis. Ecce angelus domini stetit iuxta illos et claritas domini circumdedit illos ut per hoc designaretur quod non fuit illa claritas fantastica in qua se dyabolus quandoque transfiguratur: dicit